

Tibull 2,3,1–14

Rura meam, Cornute, tenent villaeque puellam;
Ferreus est, heu, heu, quisquis in urbe manet.
Ipsa Venus latos iam nunc migravit in agros,
Verbaque aratoris rustica discit Amor.
O ego, cum adspicerem dominam, quam fortiter illic 5
Versarem valido pingue bidente solum
Agricolaeque modo curvom sectarer aratrum,
Dum subigunt steriles arva serenda boves!
Nec quererer, quod sol graciles exureret artus,
Laederet et teneras pussula rupta manus. 10
Pavit et Admeti tauros formosus Apollo,
Nec cithara intonsae profueruntve comae,
Nec potuit curas sanare salubribus herbis:
Quicquid erat medicae, vicerat, artis, amor.
[...]

Tibull 2,4

Sic mihi servitium video dominamque paratam:
Iam mihi, libertas illa paterna, vale,
Servitium sed triste datur, teneorque catenis,
Et numquam misero vincla remittit Amor,
Et seu quid merui seu quid peccavimus, urit. 5
Uror, io: remove, saeva puella, faces.
O ego ne possim tales sentire dolores,
Quam mallet in gelidis montibus esse lapis,
Stare vel insanis cautes obnoxia ventis,
Naufraga quam vasti tunderet unda maris! 10
Nunc et amara dies et noctis amarior umbra est,
Omnia nunc tristi tempora felle madent.
Nec prosunt elegi nec carminis auctor Apollo:
Illa cava pretium flagitat usque manu.

Ite procul, Musae, si non prodestis amanti: 15
 Non ego vos, ut sint bella canenda, colo,
 Nec refero solisque vias et qualis, ubi orbem
 Complevit, versis luna recurrit equis.
 Ad dominam faciles aditus per carmina quaero:
 Ite procul, Musae, si nihil ista valent. 20
 At mihi per caedem et facinus sunt dona paranda,
 Ne iaceam clausam flebilis ante domum,
 Aut rapiam suspensa sacris insignia fanis:
 Sed Venus ante alios est violanda mihi.
 Illa malum facinus suadet dominamque rapacem 25
 Dat mihi: sacrilegas sentiat illa manus.
 O pereat, quicumque legit viridesque smaragdos
 Et niveam Tyrio murice tingit ovem.
 Hic dat avaritiae causas et Coa puellis
 Vestis et e Rubro lucida concha mari. 30
 Haec fecere malas: hinc clavim ianua sensit,
 Et coepit custos liminis esse canis.
 Sed pretium si grande feras, custodia victa est,
 Nec prohibent claves, et canis ipse tacet.
 Heu quicumque dedit formam caelestis avarae, 35
 Quale bonum multis attulit ille malis!
 Hinc fletus rixaeque sonant, haec denique causa
 Fecit ut infamis hic deus esset Amor.
 At tibi, quae pretio victos excludis amantes,
 Eripiant partas ventus et ignis opes; 40
 Quin tua tum iuvenes spectent incendia laeti,
 Nec quisquam flammae sedulus addat aquam.
 Heu veniet tibi mors, nec erit qui lugeat ullus,
 Nec qui det maestas munus in exequias.

At bona quae nec avara fuit, centum licet annos 45
 Vixerit, ardentem flebitur ante rogum,
 Atque aliquis senior veteres veneratus amores
 Annua constructoserta dabit tumulo
 Et 'bene' discedens dicet 'placideque quiescas,
 Terraque securae sit super ossa levis.' 50
 Vera quidem moneo, sed prosunt quid mihi vera?
 Illius est nobis lege colendus Amor.
 Quin etiam sedes iubeat si vendere avitas,
 Ite sub imperium sub titulumque, Lares.
 Quicquid habet Circe, quicquid Medea veneni, 55
 Quicquid et herbarum Thessala terra gerit,
 Et quod, ubi indomitis gregibus Venus afflat amores,
 Hippomanes cupidae stillat ab inguine equae,
 Si modo me placido videat Nemesis mea voltu,
 Mille alias herbas misceat illa, bibam. 60